DE COMPOSITIONE
TETRALOGIARVM TRAGICARVM
DISSERTATIO

SCRIPTA

CREATIONI

XXV. PHILOS. DD. ET AA. LL. MAGISTRORVM

RECTORE MAGNIFICO

IOANNE CHRISTIANO ROSENMVLLERO

PHILOS. MEDIC. ET CHIRVRG. DOCTORE, ANATOMIAE PROFESSORE PVBLICO ORDIN. POTENTISS. REG. SAXON. CONSILIARIO AVLICO. ORDINIS ST. WOLODIMIRI EQVITE. COLLEGII PRINCIPVM MINORIS COLLEGA. SOCIETT. PETROPOLITAN. BEROLINENS. MOSCOVIENS. BROCKHVSAN. WETTERAVIENS. IENENS. ERLANGENS. SODALI

PROCANCELLARIO

DECANOQVE

GODOFREDO HERMANNO

EQVITE ORD. SAXONVM VIRT. CIVIC. ELOQ. ET POET. P. P. O. COLLEGII MIN. PRINC. SOCIO. ACAD. ROMAN. ARCHAEOL. SOCIETT. REG. BAVAR. MONAC. ET NANTIENSIS AC LAT. IENENSIS SODALI

D. XXV. FEBR. A. cIↃIↃcccxix.

LIPSIAE

LITTERIS STARITII, ACAD. TYPOGR.

1819

Ex tam ingenti numero tragoediarum, quae Athenis et scriptae olim et editae sunt, tam paucas hodie superstites habemus, ut quum universe de tragoedia Graecorum, tum de singularum partium proprietatibus iudicare difficillimum sit. Quare licet ex aliquot annis et apud nostrates et apud exteros viri docti certatim studia sua ad hoc genus scriptionis considerandum atque explicandum contulerint, tamen non est mirum, multa adhuc esse, de quibus aut non sit omnino, aut non satis accurate disputatum: praesertim quum alii ad ea potissimum attendant, quae quivis etiam sine diligenti totius rei pervestigatione invenire possit, alii autem unice in sermonis usu illustrando occupentur, qui fere, dum sedulo exempla exemplis cumulant, nonnullas bonas, plurimas etiam inanes regulas confingunt. Quorum neutri mea sententia illud satis meminerunt, discere prius, qui docere velit, debere; disci autem, quale quid sit, non posse, nisi altius repetendo, et inde quidem, unde simul et de his paucis, quae habemus, et de plurimis illis, quae amisimus, coniecturam facere liceat. Vnum promam, data scribendi opportunitate, huius generis exemplum, quod positum est in compositione tetralogiarum.

Ac nemo ignorat, tetralogiis certavisse tragicos, quae ex tribus tragoediis et una fabula satyrica constabant. Id quo tempore institutum fuerit nescimus: veri simile est, Satyros etiam antiquiores tragoediis fuisse: sed Sophoclem primum coepisse una tragoedia certare, Suidas auctor est: quamquam etiam post Sophoclis tempora tetralogias in scenam produci solitas novimus: de qua re dixit Lessingius in Vita Sophoclis

p. 123 seqq., qui quidem quod coniiciebat, post Sophoclem demum introductas esse tetralogias, et Suidae verba falsum esse arguunt, animadvertitque ipse, repugnare ei coniecturae exempla quaedam. Sed etsi quae caussa huius instituti fuerit nescimus, tamen recepto quid in componendis tetralogiis spectari vel potuerit vel debuerit, quaerere operae pretium videtur. Continetur id autem his duabus rebus, argumento et tractatione.

Atque ad argumentum quod attinet, aut una eiusdem argumenti perpetuitate vel omnes fabulae, vel duae earum tresve cohaerebant, aut singulae diversum habebant a caeteris argumentum. Nihil horum est, quod exemplo carere videatur. Ac diversa in singulis fabulis argumenta tractavit Aeschylus, quum Phineum, Persas, Glaucum Potniensem, Prometheum igniferum una tetralogia comprehendit: de qua testem habemus grammaticum, qui de argumento Persarum scripsit. Idem fecit Euripides, quum Medeam, Philoctetam, Dictyn, Messores consociavit: de quibus scriptum in argumento Medeae: et Xenocles, coniunctis Oedipo, Lycaone, Bacchis, Athamante, ut refert Aelianus V. H. II. 8. Eadem fuisse ratio videtur duarum Euripidis tetralogiarum, quibus quas satyricas fabulas addiderit nescimus, unius, quae Hypsipylen, Phoenissas, Antiopam; alterius, quae Iphigeniam in Aulide, Alcmaeonem, vel potius, ut probabiliter coniicit Musgravius, Alcmenen, et Bacchas complectebatur. Vna perpetuitate argumenti Aeschylus scripsit Agamemnonem, Choephoros, Eumenides, quibus quae accedebat satyrica fabula, Proteus, ea, ut coniiciunt viri docti, affine argumentum tractabat, Menelai profectionem Aegyptiacam. Testes de hac tetralogia sunt is, qui scripsit argumentum Agamemnonis, et scholiastes Aristoph. ad Ran. v. 1155. Vsitatum fuisse, ut etiam in Satyris eaedem personae, quae in praegressis tragoediis fuerant, introducerentur, fuerunt qui ex his colligerent versibus Horatii in A. P. 225. vereor ne non satis recte:

verum rita risores, ita commendare dicacis
conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,

ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscenas humili sermone tabernas,
aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.

Quod si ex nomine coniecturam facere licet, quattuor fabularum in eodem argumento versantium indicium habet, quae a scholiasta Aristophanis ad Aves v. 282. commemoratur Philoclis *Πανδιονὶς* tetralogia. Euripidis vero tetralogiam *Ἀλκμαιωνίδα* Butlerus ad Aeschyli fragm. Prom. p. 214. T. I. commentus est, qui si accuratius inspexisset Bentleium, quem auctorem nominat, vidisset, hunc istam Euripidis *Ἀλκμαιωνίδα* aegri somnium appellare. Non magis ex eo, quod Aristophanes Thesm. 141. Lycurgiam Aeschyli nominat, quum Lycurgus fabula satyrica fuerit, ausim colligere, tetralogiam fuisse Lycurgiam, licet hoc nomen de rebus Lycurgi etiam scholiastes ad Iliad. ζ. 129. qui tragicum aliquem respexisse videtur, posuerit. Nam ne *Ὀρεστεία* quidem tota illa Aeschyli trilogia, sed tantum Choephori et Eumenides dictae videntur. Illud vero non puto dubitandum esse, Satyros, etiam si tragoediarum trilogia in uno argumento consisteret, fere aliud habuisse argumentum. Quamquam Euripidem id fecisse, quum, ut Aelianus l. c. refert, certaret *Ἀλεξάνδρῳ, Παλαμήδῃ, Τρωσί, Σισύφῳ*, ubi recte, ut videtur, *Τρῳάσι* scribendum putat Musgravius, haud facile credam. Nam etsi tragoediae illae omnes ex rebus Troicis depromptae sunt, tamen, nisi permultum sibi licentiae sumpsit Euripides, vix potuit eas factorum quadam perpetuitate coniungere. Trilogiam tragoediarum unum deinceps argumentum explicantium Lessingius in Vita Sophoclis p. 152. indicatam putabat a Clemente Alexandrino in Protreptico his verbis p. 19. A. *Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστορείτων τοῖν Διοςκούροιν πέρι.* Sed hoc valde incertum est, neque, ut vera sit illa coniectura, ex silentio quidquam de Satyris adiunctis colligi poterit. Multo inconsideratius de trilogiis et tetralogiis idem argumentum persequentibus disseruit I. Chr. Genellius, vir per-

elegantis iudicii, sed magnae et levitatis in pervestigandis rebus historicis, et in coniectando temeritatis. Is quod in libro, quem scripsit de theatro Attico, p. 21. ait, Supplices Aeschyli medias fuisse inter Aegyptios et Danaides, quo tandem argumento dixit, quum nec testis eius rei ullus exstet, neque de Aegyptiis quidquam praeter nomen supersit? Aut quod Prometheum vinctum medium fuisse vult inter duas alias de Prometheo fabulas, quibus adiectum fuisse igniferum Prometheum ut fabulam satyricam coniicit, cui persuadebit de hac re, quum nec de primo illo, quem commentus est, Prometheo res certa sit, igniferum autem alii trilogiae additum fuisse constet? Non cautius, immo etiam aliquanto inconsideratius illud scripsit, Septem ad Thebas medium cuiuspiam trilogiae locum tenuisse, in qua sint qui tertium locum Epigonis tributum fuisse putent. Verius illud, sed non satis explicate et isto loco et p. 78. dixit, Psychostasiam partem fuisse trilogiae in eodem argumento versantis.

Quaerendum erat enim, an etiam duas tragoedias, quae argumento cohaererent, iunxissent poetae, tertiam autem addidissent nulla cum illis argumenti communitate nexam. Ac potuisse id eos facere, quis neget? Sed si fecerunt, lubentius eos et saepius credam secundam et tertiam tragoediam, quam primam et secundam cohaerere voluisse. Primis enim duabus tragoediis in eodem argumento versantibus, spectatores etiam tertiam de eadem re futuram exspectant: quibus non potest gratum esse, si falli se videant. Secunda vero et tertia tragoedia si cohaerent, non falluntur, quia nullam amplius exspectandam sciunt. Quamquam non contenderim, pro argumentorum conditione non potuisse interdum etiam illud aptius videri, si tertia tragoedia novam rem in scenam afferret. Videntur autem, nisi quidem indicia fallunt, inveniri exempla quaedam argumentorum per duas tantum fabulas continuatorum: cuiusmodi sunt ex Aeschyleis duo Promethei, ac Supplices et Danaides. Sed de his infra.

Veniendum est enim ad tractationem. Et quamquam, quod singulae seorsim tragoediae habebant argumentum, ita debebat comparatum esse, ut etiam ipsum per se animos spectatorum retineret: tamen, nisi mea me coniectura fallit, etiam aliud quid requirebatur, ut tres tragoediae sese deinceps excipientes ea cum attentione ac voluptate spectari possent, cui excitandae operam dedisse poetas, praesertim qui de victoria concertarent, maxime consentaneum est. Id autem, si quid video, in eo debebat positum esse, ut eae tragoediae, quae una trilogia comprehenderentur, quam maxime inter se essent dissimiles: eodem modo, ut hodie musicos in iis, quas symphonias vocant, quae ex tribus plerumque partibus constant, id curare videmus, ut apta dissimilitudine earum partium, ne refrigeretur et languescat studium audiendi. Erat vero in tragoediis triplex omnino fons, ex quo peti ista dissimilitudo posset. Nam et animis, et auribus, et oculis prospicere debet poeta scenicus. Itaque et inventione fabulae atque compositione, et canticorum temperamento, et apparatu rei scenicae differre tragoedias oportebat. Et profecto quae sola nobis, quod quidem certo sciamus, trilogia superest, egregie huic rei fidem facit. Agamemnon magna est et gravis fabula, tota ad epici carminis severitatem composita, stasima habens longa et gravia, aliquot brevia cantica de scena, aliquot etiam *κόμμους*; ad scenicum autem apparatum nihil insigne aut novum. Excipiunt hanc Choephori, plane diversi coloris fabula, in qua actionis non multum, cantica chori minus longa, sed de scena tanta tamque admirabilis cantionum varietas, eique congrua etiam diverbiorum alternatio, ut tota fabula lyricam indolem spiret, cantusque in ea primarium locum tenere videatur. Mirum quantum ab hac differt tertia fabula, Eumenides, quae tota, ut in capitalis iudicii disceptatione versans, austera est ac pene aspera. Nihil in hac de scena canitur; nulli *κόμμοι*; sed chori cantica vehementissimi motus plena. Fere omnia in hac eo tendunt, ut oculis nova, insolens, terribilis species obiiciatur. Agitur res in templis deorum: numina conspiciuntur Apollinis, Mer-

curii, Minervae; Pythias sacerdos, umbra Clytaemnestrae, sanctissimus consessus Areopagi; tum chorus Furiarum, pullis vestibus indutarum, capita anguibus redimitarum, dormiens in vestibulo templi Delphici; mox paullatim expergiscens, sine ordine prorumpens, horrendis motibus choreas ducens, prae implacabili irae obstinatione identidem eadem dicta iterans; postremo, aegre lenita ferocia, comitante alio cum facibus et sollemni pompa choro orchestram relinquens. Et huius tantae inter has fabulas diversitatis nos exiguam tantum partem animo concipimus: quid illos censeamus, qui audiebant ipsi voces et concentus musicos, omnemque illum scenae apparatum oculis suis videbant?

Non sum nescius, unum hoc exemplum esse. Temerariumque sane foret, quod in hac trilogia factum est, in omnibus factum contendere, praesertim quum in tanta tragoediarum scribendarum concertatione alii semper alios novitate inventorum superare studuerint: sed tamen tantam haec ratio probabilitatis speciem habet, ut quaerendum saltem esse videatur, an confirmari etiam aliis exemplis queat. Nec fortasse multum a vero aberraverit, qui, hoc tam illustri exemplo indicium praebente, certe in antiquiore tragoedia quasi legitimam fuisse rationem illam coniecerit. Similiter legem quamdam Aeschyli artis tragicae sagaciter reperit Heerenius in Bibliotheca Gottingensi veteris litteraturae et artis P. VIII. Videamus igitur, si quid sit, quod confirmet suspicionem nostram.

Vt Aeschyli, ita Euripidis fabularum magna diversitas est: minor in Sophocleis invenitur, casu ut opinor servatis, quae similiores inter se sunt. Sed Euripidis tragoediarum duplex dissimilitudo est, una a tempore, quo factae sunt, repetenda, quum, quae ab Olymp. LXXXIX. scriptae sunt, et numeros minus elaboratos, et metra tunc maxime usitata, in quibus Glyconeum eminet, habeant: cuiusmodi etiam Sophoclis Philoctetes est; altera, quae est inventionis, compositionis, tractationis. Hanc nunc solam respicimus et in Euripide, et, in quo altera nulla est,

in Aeschylo. Atque ex Aeschyli tragoediis quattuor habemus, quarum permagna similitudo est, Septem ad Thebas dico, Persas, Choephoros, Supplices. Quarum qui comparationem instituet, facile puto adducetur, non tam id egisse poetam, ut actionem aliquam strenue explicaret, quam ut, quaecquae actio esset, ea melicis carminibus aptam praeberet materiam, in iisque praecipue fieret conspicua. Ab hoc quasi lyrico et, ut ita dicam, cantabili genere tragoediae mirum quantum differunt Prometheus, Agamemnon, Eumenides: quarum hoc commune est, quod actionis explicatae ad finem perductio, cum magna severitate coniuncta, primarium est; maximeque in Agamemnone, quae ut longissima, ita etiam perfectissima tragoedia est. Simillima huic Prometheus est, nisi quod *κόμμους* nullos habet. Ab utraque differunt Eumenides insolentia spectaculi. Sed illa similitudine Agamemnonis et Promethei moneo ne quis ita abutatur, ut eas fabulas eodem fere tempore scriptas putet, quod nuper fecit Franc. Passovius in Meletematis criticis in Persas Aeschyli p. 2. eo usus argumento, quod par in Prometheo atque in trilogia ista ars esset poetae conspicua. At neque una fabula recte cum trilogia comparatur, neque necessarium est, ut, quae arte elaboratior est fabula, etiam posterior sit tempore. Et Prometheus quidem cur mihi multo ante Agamemnonem videretur editus esse, alio loco indicavi. Quod si ea, quae supra de compositione illius, quam adhuc habemus, trilogiae dixi, vel vera sunt, vel certe similia veris, ut ex iis tamquam legitimum sumi debeat, primam trilogiae fabulam mentis potissimum atque animi oblectationi actione gravi plene atque explicate ad finem perducenda inservire; secundam canticorum modulatione ac multiplici varietate aures permulcere; tertiam denique oculos novo atque insolenti spectaculo percellere ac retinere: experiamur, an etiam caeterae, quas habemus, Aeschyli fabulae hanc rationem confirmare videantur: modo ne credamus, quem illa trilogia variationis ordinem habet, constanter servari in omnibus debuisse: id quod ne argumentorum quidem omnium conditio permisisset. Magnam tamen commendationem etiam ab eo ha-

bere iste ordo debuit, quod aptissimus esset ad placendum multitudini: quae quum orationis gravitate facile satietur, retinenda est aliis artificiis, et primo quidem cantus suavitate, postremo novitate spectaculorum, quae maxima vulgi oblectatio est.

Ac profecto confirmare videntur coniecturam nostram primo Persae: quae fabula, quam similem Choephoris esse diximus, eumdem, quem hae, in trilogia locum tenuit. Prima enim Phineus, secunda Persae, tertia Glaucus Potniensis fuit.

Confirmare videntur etiam Supplices: cui quidem fabulae dubito an non praecesserit alia, quae argumento cum ea cohaereret, quum quae sint istae puellae et unde venerint Argos, et qua caussa, tam accurate explicetur, ut nunc primum eam rem in scena agi appareat. Sed sequutam esse aliam fabulam, quae continuaret argumentum, quod in Supplicibus imperfectum relinquitur, valde est verisimile. Eamque fabulam Danaides fuisse, facile ex fragmentis coniicias, ut quae aperte ad nuptias Danaidum spectent. Habent ea quidem tam singularem colorem, ut non sim miraturus, si quis hanc fabulam satyricam fuisse coniiciat. Sed nihil est tamen in iis, quod non etiam in tragoedia recte et magna cum vi dici potuerit: nec facile est intellectu, quomodo Satyris hoc argumentum conveniat. Quodsi tragoedia fuit, novum etiam accedet opinioni nostrae firmamentum, siquidem, ut Supplices ad cantum potissimum factae sunt, ita in Danaidibus, quod spectando maxime populum retineret, fuisse, non modo ex ipsa undequinquaginta sponsorum atrocissima caede, sed etiam ex eo videtur colligi posse, quod Veneris in ea fabula personam introductam legimus.

Paullo aliter statuendum videtur de Septem ad Thebas. Haec quamvis similis sit Choephoris, tamen nescio an mutato variationis ordine non secundum, sed tertium trilogiae locum habuerit. Praegressam quidem ei esse aliam tragoediam coniuncti argumenti, ex ipsa intelligi potest, ut in qua somnii cuiusdam, quasi noti spectatoribus, mentio fiat, de quo tamen in illa quidem fabula nihil dictum erat. Locus est hic v. 707.

ἄγαν δ' ἀληθεῖς ἐνυπνίων φαντασμάτων
ὄψεις, πατρῴων χρημάτων δατήριοι.

Hoc itaque somnium in praegressa fabula narratum fuerit necesse est. Atque quum in fabulis Aeschyli et Laius et Oedipus nominentur, veri simile est, ita eas una trilogia coniunctas fuisse, ut Laium Oedipus, Oedipum Septem ad Thebas exciperent.

Plus negotii facit Prometheus. Nam quum praeter Prometheum δεσμώτην commemorentur πυρφόρος, πυρκαεύς, λυόμενος, in diversa discesserunt viri docti, alii tres Prometheos ab Aeschylo scriptos esse existimantes, alii quattuor. Atque in his fuit T. Hemsterhusius ad Pollucem IX. 156. Sed hic illud tantum spectavit, si quattuor sint fabulae, omnem iis historiam Promethei contineri: non cogitavit etiam, in indice fabularum Aeschyli tres tantum commemorari; πυρφόρον et πυρκαέα nomina esse adeo similia, ut facillime unius fabulae appellationes esse potuerint; πυρφόρον semel tantum citari, quique ex eo proferatur versus, eum nihil de argumento fabulae prodere; denique, si tragoedia hoc nomine fuit, certe eam non potuisse cum Prometheo vincto eadem trilogia coniunctam esse. Huic enim nullam de Prometheo aliam fabulam praecessisse, illud certissimum argumentum est, quod in eo diligentissime, cur vinctus sit Prometheus, exponitur. Sequutam vero esse aliam, non minus certum est, quum solutum se iri ipse ille in vinculis Prometheus dicat, neque ita ea fabula finiatur, ut non, quid porro futurum sit, spectatores, requirant. Quin scholiastes ad v. 510. verbis minime dubiis significat, exceptam hanc fabulam esse a Prometheo soluto: λύεται γὰρ ἐν τῷ ἑξῆς δράματι. Sed sive primum, sive secundum in trilogia locum habuit vinctus Prometheus, non mediocriter hae duae fabulae labefactare coniecturam nostram videntur, eo, quod, quantum ex fragmentis alterius colligi potest, simillimae fuerunt. In utraque rupi affixus cernebatur Prometheus, nisi quod in posteriore etiam aquila, quae ei iecur exederet, accedebat. In utraque chorum

agebant dii inferioris ordinis, in priore Oceanides, in posteriore Titanes. In utraque Prometheus, ubi chorus advenerat, de cruciatu suo fere eodem modo querebatur. In utraque adveniebat aliquis ex heroum genere, in priore Io, in posteriore Hercules, cui utrique Prometheus longis orationibus, quanta iis per orbem terrarum itinera facienda, quantaque subeunda pericula essent, explicabat: ut, si in aliis trilogiis varietatem rerum consectari studuit Aeschylus, in his duabus fabulis similitudinem videri debeat etiam dedita opera quaesivisse. Quid igitur dicamus? Num similitudinem illam fabularum magis, quam dissimilitudinem spectatoribus placuisse? Non putem. Aut voluisse Aeschylum ostendere, magnum ingenium etiam ea via feliciter incedere, qua aliis prosperum successum sperare non esset licitum? Fortasse: et veri similius certe hoc est, quam non vidisse eum, quam periculosum esset, similitudine rerum fatigare spectatores. Duo tantum sunt, nisi fallor, quae responderi ad removendam hanc dubitationem possint. Si hae fabulae tanta, quantam indicavimus, similitudine fuerunt, credibile est eas primas in trilogia fuisse, tertiam autem successisse talem, quae, quam illae similes inter se, tam utrique dissimilis esset, eaque dissimilitudine maiorem in modum compensaret, quod in illis minus recte factum videretur. Sed nescio an etiam verius sit alterum. Nam quae nobis non potest non maxima videri similitudo esse, quis ausit dicere, an forte haud parum contulerit, quo dissimillimae fierent hae fabulae? Sunt certe duae res, quae commendare hanc coniecturam videantur. Primum enim chorus, qui in Vincto Prometheo timidas virgines habet, in Soluto e Titanibus est, numinibus et natura ferocibus, et propter privatas iniurias Iovi infestis, et nunc fratris Promethei supplicio exasperatis: pariterque non iam Io aliqua oestri stimulis confecta, longoque cursu exhausta ad Prometheum advenit, opem eius implorans, sed superator laborum omnium invictus heros adest, laturus auxilium. Deinde qui in Vincto Prometheo dirus est exitus, in Soluto felix est, interfecta ab Hercule aquila, liberatoque e vinculis Prometheo. Sunt haec

profecto eiusmodi, quae facile efficere potuerint, ut, quo similiores essent compositione hae fabulae, tanto magis tractatione ad summam dissimilitudinem adducerentur.

Paucis denique commemoranda est Psychostasia, in qua animas Memnonis et Achillis Iuppiter in bilance pensitabat, adstantibus, et filiorum in bello caesorum caussas orantibus Aurora et Thetide. Hanc fabulam si licet tertiam existimare trilogiae, cuius prima Memnon, secunda Nereides fuerint, egregie conspirabit cum eo, quod supra ut legitimum posuimus, tertias tragoedias spectaculi novitate et magnitudine eminuisse.

Multo difficilius est, de Euripideis trilogiis iudicare. Videntur tamen eae, quas supra nominavimus, non minus confirmare sententiam nostram, quam Aeschyleae. Medea quidem, quam Philoctetes et Dictys excipiebant, gravis et severa fabula est, ut eam hoc nomine recte cum Agamemnone comparari liceat. Sed de Philocteta et Dictye quae nobis nota sunt, non sufficiunt, ut, quam similis illae Medeae aut dissimiles fuerint, coniicere possimus. Eadem illius trilogiae ratio est, in qua Phoenissae mediae fuerunt inter Hypsipylen et Antiopam: sed hic quoque in media fabula aliquid operae canticis datum videmus: quemadmodum in ea trilogia, quae Alexandrum, Palamedem, et, si recte coniecit Musgravius, Troades continebat, ultima fabula praecipue in cantu occupata fuit. Certior res est in illa trilogia, quae habebat Iphigeniam in Aulide, Alcmenen, et Bacchas. Quarum etsi quae media fuit, non exstat, prima autem et valde corrupta et miris modis interpolata est, tamen quantum ab ea differant Bacchae, quarum plane alius color est, nemo non videt. Eaque fabula furentis Penthei, insanientiumque Baccharum spectaculo non minus oculos, quam canticorum vehementia aures retinuerit necesse est, ut ad eamdem rationem facta videatur, de qua supra in Eumenidibus dictum est.

Omnino autem, quales Troades sunt, aliae quoque in Euripideis fabulis, eaeque breviores fere tragoediae inveniuntur, quae canticorum varietate ita sunt temperatae, ut eo in trilogiis

officio functae videantur, quod Choephoris supra tribuimus. Eiusmodi sunt Andromache, Supplices, Hercules furens, et, quam doctores quidam umbratici, a quorum tenuitate nimis abhorreret Hercules ille, simili iudicii perversitate ut Aeschyli Persas, pene ad comoediae humilitatem abiici deputarunt, Alcestis. Et tamen Hercule illo vix quidquam divinius ab Euripide factum est. Quod nemo praeclarius ostendit, quam Goethius nostras, cuius fabellam, quam Deos Heroas et Wielandium inscripsit, ut ab operum eius editione vivo Wielandio excludi humanitatis fuerit, at mortuo inseri iis magnopere cupimus. Miseri sunt, quibus in illo spes est, *de mortuis non nisi bene.* Neque in his est Wielandius, vir immortalis, etiam si quid, ut omnes facimus, aliquando erraverit.

CAROLVS THEOPHILVS BVDDENSIEG.

Natus est Sundhusae in Thuringia a. s. s. LXIX. patre Ioanne Rudolpho, AA. M. verbi divini ibi ministro; matre Ioanna Friderica, Heegii, parochi quondam Altengotterani f. Initiis doctrinae Christianae a Kunlenio, ludi patrii tum magistro, elementis altiorum litterarum ab avunculo, Reubero, V. D. ministro, imbutus, deductus est in scholam Molhusinam, ubi Boettgerum, Georgium, et, cui se praecipue obstrictum ait, Demmium magistros habuit. Exacto ibi quadriennio per tres annos Lipsiae in schola Thomana Hofmanni, Thiemii, Fischeri disciplina usus est. Inde a Platnero in cives Academicos receptus, hunc, et Caesarem, et Heydenreichium in philosophia; in humanioribus doctrinis Beckium, Wenckium, Hilscherum, Burscherum; in theologia Morum, Rosenmüllerum patrem, Keilium, Dathium, Wolfium praeceptores adiit. Ita impleto triennio, a supremo Senatu ecclesiastico candidatis R. ministerii adscriptus, in patriam rediit, patrem iam senem in munere sublevaturus. Quo quum venisset, paucis diebus post mortuus est pater. Ita afflicto contigit, ut Graunii, sacrorum ministri in vico Niederdorla dicto, liberos per tres annos institueret. Inde a genero suo, Brandtio, AA. M. Issersheilingiae et Marolderodae prope Longosalissam, V. D. ministro, ut eum in

muneris officiis adiuvaret, arcessitus, biennio post, quum ille mortuus esset, per duos annos liberos instituit Kirstii, V. D. min. in vico prope Molhusam sito, cui nomen Großkoerner. Inde Dohnam eum vocavit Müllerus, pharmacopola, liberosque ei suos commisit. Quibus per V annos educatis, Dresdae ab honestissimis quibusdam gentibus pueros docendos accepit, in primis a L. Baronibus de Dolst, Petropolitanis, quorum natu maioris potissimum, Secretarii tum in Legatione Russica munere fungentis, et liberalitatem et voluntatem pene fraternam mirifice laudat. Ibi annum unum et dimidiatum commoratus, quum a supremo collegio ecclesiastico V. D. minister in pago Gangloffsoemmerda designatus, Lipsiaeque in examine valde probatus, atque in aede Thomana ordinatus esset, adiit illud munus a. h. s. IV. d. XXIV. Iun. A. h. s. IX. matrimonium iniit cum Ioanna Friderica, Weberstaedtii, Freyenbessingiae, et tum Kirchheilingiae, virorum nobilium de Kutzleben et Schierbrandt praediorum conductoris filia. Ex hoc matrimonio quattuor ei iam filii nati sunt.

CAROLVS HENRICVS FROTSCHER.

Weyrae prope Neostadium ad Orilam natus a. s. s. XCVI. parentes habet Carolum Theaenetum Ludovicum, sacrorum antistitem, et Eleonoram Sophiam Fridericam e gente Schatteria. Primam institutionem a patre et avo materno accepit, cui plurimum se debere profitetur. Magnam etiam patrui in se educando curam laudat. Tredecim annos natum pater Müllero, scholae Cizensis Rectori meritissimo, suo quondam ipsius praeceptori, commisit: qui eum una cum Kiesslingio, Conrectore, tantis amoris sui documentis cumulavit, ut numquam satis a se laudari hos viros posse dicat. A. h. s. VI. a Beckio Academiae adscriptus, theologiae nomen dedit. Meis scholis tribuit, quod antiquarum litterarum studia prae caeteris amplecti coeperit: recepique eum in societatem Graecam. Magnopere etiam Beckium laudat, a quo Regio Seminario philologico adscriptus, aliisque multis auctus est benevolentiae documentis. Praeterea patronos veneratur Equitem generosissimum de Bylow, qui mirum in modum res eius sustentavit, et Güntherum, Iurium in hac urbe D. cuius potissimum auctoritate factum, ut bis stipendio illo donaretur, quo societas, cui Eunomiae nomen est, litterarum studiosos iuvare solet. Mirifice celebrat etiam Rostium, qui non solum docendi in schola Thomana ei

opportunitatem fecit, sed multis etiam aliis modis voluntatem suam ostendit. Praeter philologorum scholas audivit etiam philosophicas lectiones Platneri, Wendtii, Krugii, Heinrothi, Clodii, historicas Beckii et Krusii, theologicas Beckii, Rosenmülleri, et, quem in primis colit, Tittmanni, cuius S. R. patrem suo patri quondam amicissimum praeceptorem, studiorum benevolentissimum moderatorem, rerumque omnium diligentissimum statorem contigisse praedicat. Gratus commemorat etiam munificentiam Amplissimi huius urbis Senatus, qui ipsum in consequendis honoribus nostris adiuverit.

CAROLVS EDVARDVS OTTO.

Natus sum Dresdae anno MDCCXCV patre Christiano Gottlob, Hohensteinensi, nunc munere secundi praeceptoris in gymnasio Budissino fungente, matre vero Anna Victoria, e gente Bocheux, oriunda ex urbe Francogalliae Foro St. Quintini, cuius obitum valde doleo. Ab his maxima cura educatus et domestica institutione Hartmanni, nunc Professoris Historiae in gymnasio Hamburgensi, qui hucusque omni benevolentiae genere me cumulat; praeparatus, per sex annos gymnasium Budissinum frequentavi, cuius inter praeceptores gratissima mente, praeter patrem carissimum, nomino Siebelisium, praeclare de me meritum. A. h. s. XIV. Tittmanno Rectore civis Academicus factus praeceptores in aeternum pie colendos nactus sum b. Platnerum, Krugium, Wendtium, Heinrothium, Beckium, Hermannum, Mollweidium, Gilbertum, Arndtium, Bienerum, cui per duos annos a manu fui, cuiusque non possum non praedicare in me benevolentiam, Hauboldum, Weissium, Müllerum, Diemerum, Iunghansium, Keesium. Anno insequuto in societatem Sorabicam receptus sum, quae me mox sibi ab epistolis esse voluit, cuiusque praesidibus meritissimis Goldhornio et Wendtio maximas semper agam gratias. A. h. s. XVII. die X. Octbr. Illustris Iurecons. Ordo dignum me habuit quem prima laude ornatum Baccalaureum Iuris crearet, et mense Maio anni sequentis examen, quod dicunt rigorosum, superavi. Gratissimi denique animi sensus monet ut addam ad sublevandas rei familiaris angustias stipendia mihi contigisse ab Rege Potent. ab Amplissimo Senatu Lipsiensi, commendatione Werneri, qui Senatui primus a literis est, viri summa pietate colendi, cuius innumerabilia in me exstant merita; ab Illustri Iurecons. Ordine, et ab Senatu Budissino.

CAROLVS AVGVSTVS IACOB
LIPSIENSIS

Hunc natum a. s. s. XCVI, parentes, Carolus Fridericus, concinnator capillamentorum, et Concordia Wilhelmina Muelleria, quamvis in re tenui, et septem liberis alendis vix suffectura, tamen, summa cura ac diligentia educarunt. Per duos fere annos institutione Heinicii et Nicolaii in schola Wendleriana gavisus, anno aetatis octavo in discipulos scholae Thomanae, et duobus annis post in eiusdem scholae alumnos receptus, per novem integros annos omnium, qui ibi merent, praeceptorum doctrina et benevolentia usus est, Weigelii in primis et Reichenbachii; anno h. s. XV. Rectore Wielandio ad Academiam accessit, quo tempore patrem ei subita mors abstulit. Per tres, quos apud nos egit, integros annos in primis Beckii et scholis et patrocinio usus est. Praeter hunc secutus est Platnerum in philosophicis, Keilium in hermeneutica, Tittmannum in symbolica et dogmatica doctrina. Hebraicae linguae scientia eum imbuit privatissima institutione Winerus, a quo societati exegeticae adscriptus, brevi tempore plurimum se profecisse ait; neque omnino habet, quo modo satis digne hunc virum laudet. Vt paupertatis sollicitudinum pene oblivisceretur, Regio stipendio, itemque Weidmanniano, effectum esse pia mente praedicat.

ALBERTVS LION

Hic, natione Iudaeus, Bambergae natus, patre rabbini munus administrante, anno aetatis XIII. Cassellas profectus, quum in schola, quae ibi floret, Latinis Graecisque litteris imbui coepisset, tanto earum amore exarsit, ut se iis totum traderet. Duos igitur ibi annos moratus, quum Lipsiae puerum educandum acciperet, civis Academiae nostrae factus, per biennium antiquitatis studia sectatus est, receptusque in Regium seminarium philologicum. Impetratis honoribus nostris, Hanoveram petiit, ut propior esset fratri, Bückeburgi degenti.

IOANNES CAROLVS AENOTHEVS HILBENZ

Budissae natus a. s. s. XCVI. patre Pastore ad aedem D. Michaelis, matre filia Mithii, Diaconi Budissensis, adolescens magistrum habuit Siebelisium, rectorem gymnasii. A. h. s. XVI quum Lipsiam

petiisset, mox Carolus Fridericus Aemilius, Ser. Princeps Holsatiae, liberos suos ei instituendos commisit. Philosophiae magistrum habuit Krugium, theologiae Tzschirnerum et Winzerum. Aliis doctrinis, ut mathematicis et geometricis, partim apud privatos doctores, partim suo Marte operam dedit.

ADAMVS AVGVSTVS DE IACYNA

Hic natus est a. s. s. LXXXVI. Poloniae in hyparchia Polocensi, patre Valeriano, Thesaurario Smolenscensi, Iudice provinciae Polocencis, et Ordinis civilis Equite, quem bimulus morte amisit; matre Euphrosyne e gente de Nornicki, qua adhuc viva gaudet. Ex privatorum magistrorum disciplina gymnasio, quod florebat Vsaciae, deinde Polociae commissus est. Biennio in studiis Academicis acto, sub auspiciis cognati paterni rei militari per duos annos et menses septem operam dedit. Positis armis ad litterarum studia reversus, a. h. s. VI. praefectus est muneri scholastico in gymnasiis gubernii Grodnensis in Lithuania. Sed condito ducatu Varsoviensi, restitutoque splendore nominis Polonici, in hunc ducatum se contulit, ut communis laetitiae particeps fieret, munusque ibi Professoris in Lyceo Regio Seynensi a. h. s. X. suscepit: quo se post sex annos sponte ad aliquod tempus abdicavit, ut litterarum caussa alias regiones adiret. Itaque annum in Academia Vratislaviensi commoratus, lectionibus interfuit philologicis, historicis, philosophicis. Inde apud nos iisdem studiis operam dedit, me et Beckio, Krugio, Wielandio ducibus. Honoribus nostris ornatus, Gallias et Italiam visurus discessit.

IOANNES CAROLVS NINNICH.

Osterfeldae, oppidulo prope Numburgum sito, natus est s. s. a. XCIII. patre Io. Christophoro, matre Maria Rosina e gente Schneideria. In schola cathedrali, quae Numburgi est, per septem annos, magistros et fautores habuit Krausium, tum concionatorem ad aedem cathedralem, Gernhardium, Wernsdorfium, Fürstenhauptium, Hoppium, Müllerum. Inde a. h. s. XIV. a Tittmanno civibus nostris adscriptus, hunc, Beckium, Wolfium, Tzschirnerum, Keilium, Rosenmüllerum, Winerum, Illgenium in doctrinis theologicis duces sequutus est: in philologia me, in philosophia Platnerum et Krugium, in historia Beckium et Poelitzium, in mathesi Mollweidium. A. h. s. XVII. a Consistorio Magdeburgensi, exa-

mine superato, candidatus theologiae factus est, accepta concionandi posestate.

FRIDERICVS GOTTLOB FELLER.

Parentes habet Io. Danielem, matrem e gente Hetschelia, qui eum Bischoffswerdae, quae patria ipsi urbs est, Helligio, AA. M. adhuc scholae Bischoffswerdensis Rectori erudiendum commisere. Ex huius disciplina in gymnasium Budissinum transiit, ubi per quinque annos magistrorum et diligentiam et favorem expertus est eximium, Rectoris potissimum, Siebelisii, et Ottonis, Conrectoris. Inde Lipsiam adiit, theologiaeque studia sectatus, praeceptores habuit Beckium, Keilium, Tzschirnerum, Tittmannum, et me. His omnibus gratias agit, in primis Beckio, cuius patrocinio plurimum se debere ait.

CAROLVS FRIDERICVS MOERBE.

Hic a. s. s. XCVI, natus Hoyerswerdae, primo a parentibus ipsis institutus, deinde per septem annos in gymnasio Budissensi litteris operam dedit. Hinc Lipsiam adiit, et per tres annos Krugii, Platneri, Wendtii, Beckii, Rosenmülleri, Keilii, Tittmanni, Tzschirneri, Winzeri, Illgenii lectionibus interfuit. Inde scholae civicae collaborator factus est.

CAROLVS FRIDERICVS ZILLER.

Pater huic est Io. Godofredus, cantor et ludimagister Kaditii, qui pagus est prope Dresdam. Ei uxor fuit Rahel Theophila, Bruchholdi, qui ante ipsum illo munere functus erat, filia: ex qua natus hic noster a. s. s. XCIX. aetatis anno XIV. matrem morte amisit. Ex paterna institutione scholae Neostadiensi ad Dresdam traditus, Angerum, Kochium, Pauflerum magistros habuit. Hunc in scholam Crucis, quae Dresdae floret, vocatum sequutus, per quinque annos etiam Beutleri et Braeunigeri disciplina usus est. A. h. s. IX. Vitebergam se contulit, ubi per quadriennium theologiae operam dedit. A. XIII. Dresdae examine superato in candidatos theologiae receptus est. Inde ad seminaria et collegia concionantium, quae Tittmannum, Ammonem, Hackerum, viros S. R. praesides habent, admissus, atque a. h. s. XVII. ab Ampliss, Senatu civitatis Dresdensis minister sacrorum et catecheta ad institutum Ehrlichii, lectus est.

MAXIMILIANVS CAROLVS FRIDERICVS GVILIELMVS GRAEVELL

POT. REGI BORVSS. A CONSILIIS REGVNDAE REIP.

Nihil ad nos de vita sua perscripsit vir illustris, satis ille apud omnes et meritis et scriptis clarus.

IOANNES PAVLVS NOEBE

Natus Lipsiae a. MDCCLXXXV. patre, Ioanne Paulo, qui anno post diem supremum obiit, matre Maria Eleonora, e gente Pilsteria, Halae Saxonum genita, nunc iam sextum et decimum annum mortua, puer undecim annorum scholam Nicolaitanam adiit, Forbigerique Rectoris, et caeterorum magistrorum institutione praeparatus, exeunte a. MDCCCIII. in hac Academia theologiae operam dare coepit. Ad philosophiae et artium liberalium studia Caesarem, Weissium, Poelitzium, me, et Clodium, ad theologica, bb. Rosenmuellerum, Kruigerum, et Keilium duces habuit. Quem itineris cursum, plus dimidio iam peractum quum persequi vetaret valetudinis iterato morbo vexatae iactura, post aliquot annos in pristinam studiorum viam reuersus est, ac theologiae stadium percurrere secum constituit, scholis usus Beckii in ecclesiae et religionis historia, Keilii in dogmaticis et hermeneuticis, Tittmanni in symbolica doctrina, Tzschirneri in homileticis. Haud parvum ei levamen attulerunt beneficia stipendiorum regiorum iterato acceptorum, mensaeque Regis Aug. munificentia collatae, nec non stipendiorum inclitae nationis Misnicae, quibus ab Exc. Clodio, cui a manibus esse ei contigit, ornatus est. Laudatque quum aliorum huius Academiae magistrorum, tum Exper. Ludwigii singularem benevolentiam, a quo ad honores nostros adipiscendos stipendio auctus est. Praeterea gratus praedicat liberalitatem Beieri, mercatoris in urbe nostra celeberrimi, qui filiam suam institutioni ipsius per aliquod tempus tradidit. Anno superiore Dresdae examen apud supremum Senatum ecclesiasticum subiit. Inde demandatam sibi a Senatu huius urbis Amplissimo catechetae ad aedem D. Petri provinciam suscepit.

ERNESTVS GODOFREDVS SCHMIDT.

Lucem vidit a. s. s. XCII. Vckermundae prope Stettinum, ubi pater vestibus concinnandis operam dat. Parentes, ambo illi adhuc in vivis, quum eum ad litteras tractandas non ineptum cognovis-

sent, Tanglimiam miserunt, cuius in urbis schola per quinque annos exercitatus, quum maximo theologiae amore incensus esset, eius rei caussa a. h. s. X. contulit se in Academiam Berolinensem, ubi philosophiae theologiaeque discendae duces ei fuerunt Schleyermacherus, Marheinecke, de Wette. Quinque semestribus exactis, quum virum quemdam Gedanensem, cuius liberos Berolini educare coepisset, Elbingiam comitatus esset, populo ab Rege ad arma vocato, nomen dedit inter velites voluntarios tertiae legionis Borussiae orientalis, quae sub auspiciis erat comitis Bülowii a Dennewitz. Pace Parisiis facta domum redux, coeptum antea studiorum cursum Regiomonti peragere coepit.

CHRISTIANVS HENRICVS SCHVMANN.

Natus sum Neokirchae, qui vicus est prope Crimmitzschaviam in circulo regni Saxonici montano, s. s. a. LXXXVII. patre Christiano Godofredo, fabrorum lignariorum magistro, matre Christiana e gente Kneipelia, quos ambos dei beneficio adhuc salvos esse gaudeo. Puerum parentes, quamvis numerosa proles esset nutrienda, summa diligentia educandum curaverunt. Annos quatuordecim natus, quum literis vitam consecrare decrevissem, deductus sum in gymnasium Altenburgense, ubi magistri mihi fuerunt viri praestantissimi, Matthiae, Ramshornius, Moerlinus, Doehlerus. A. h. s. VII. a b. Caesare in cives Academiae Lipsiensis relatus, quum theologiae studium amplexus essem, ita tamen, ut Graecae Romanaeque antiquitatis cognitionem, ad quam singulari amore deducebar, non negligerem, in theologicis doctrinis praeceptores habui Beckium, Keilium, Rosenmüllerum, in philosophicis Platnerum et Krugium, in philologicis Beckium atque Hermannum, quibus viris tantum me debere intelligo, ut id verbis exprimere nequeam. Anno X. Lipsia relicta, quum examini theologico superato reverendi ministerii candidatis adscriptus essem, primum Waldae prope Grossenhainiam in domo generosissimi equitis de Pforte, deinde Zittaviae in gente Meuselia liberis instituendis et educandis privatam operam per biennium navavi. Inde Misenam delatus, summi Senatus ecclesiastici decreto laborum ad erudiendos literisque augendos in illustri Afraneo iuvenes socius constitutus, triennium transegi multis nominibus mihi gratissimum. Hinc anno MDCCCXV exeunte Annabergam ad suscipiendum Conrectoris in eius urbis Lyceo munus vocatus sum: quo in loco quum non pauca sint, quae virum literarum amantem tenere possint, ita vivo, ut superiorum

benevolentia, collegarum coniunctione, iuvenum nostrae curae concreditorum humanitate pariter et laetari possim et gloriari.

CAROLVS GOTTHOLD ERDMANN HOCHMVTH

REG. SEMIN. PHILOL. SODALIS.

Natus sum Grimmae d. XIIX. Februar. cIↃIↃccxcvi. patre M. Ioh. Gotthelf, in schola provinciali, quae ibi munificentia Regis Aug. floret, Professore II. quem superstitem colo, matre Christiana Sophia e gente Genselia, cuius iacturam quatuor abhinc annos lugeo, elugebo nunquam. Sedulo a parentibus educatus, cum annum agerem quartum decimum scholae eidem traditus sum, ubi praeter patris disciplinam per sex fere annos praeclara Sturzii, Graessii, b. Reichelii, Hartmanni et Toepferi institutione frui mihi contigit, ita ut in domo paterna victu quotidiano uti pergerem. A. h. s. XV a Wielandio civibus Academiae adscriptus, cum operam studiis maxime theologicis dare constituissem, methodologia a Beckio accepta, eundem in historia cum universa tum ecclesiastica, atque in hac etiam Tzschirnerum, in philosophia Krugium, b. Platnerum, Clodium, in philologia Beckium atque Hermannum, in doctrinis theologicis b. Keilium, Tittmannum, Winzerum, Beckium, Wolfium, in mathematicis Mollweidium, in historia imperii et nationis Germanorum etiam Poelitium praeceptores veneror: inprimis Beckium, quo duce anno XVII. inter Sodales Regii Semin. philol. receptus in hoc quoque litterarum genere proficere magis studui atque studebo. Quae studia academica ut facilius tractare possem, effecerunt et munificentia Regis Potentiss. et liberalitas S. R. Ordinis Theolog. et collegii Professorum, Senatusque civitatis et Lipsiensis et Grimmensis. Caeterum ut Mannsfeldii, tributorum in urbe Lipsiensi curatoris, Wolfii, concionatoris matutini ad aedem D. Petri, Werneri, primi praefecti civitatis Lips. scripturis, aliorumque virorum praestantissimorum summam benevolentiam mihi praestitam non possum non laetus praedicare, ita gratissima semper mente recondam beneficia, quibus me ornarunt tum b. Keilius et Goldhornius, Viri S. V. tum Kühnius, V. Experientiss. ut patri meo in amicis veteribus inprimis carus atque aestimatus, ita mihi multis nominibus pie colendus, quo etiam auctore stipendio ad consequendos summos in philosophia honores ab inclita Natione Misnica adiutus sum.

IOANNES FERDINANDVS CAROLVS DOERING.

Natus Trebitii vico prope Liberosam sito a. s. s. LXXXXII. patrem Ioannem Martinum sacrorum ibi antistitem, matrem Annam Mariam e gente Hechtia, adhuc incolumes esse laetatur. Puer a patre institutus, postea in schola Thomana, quae Lipsiae floret, per quinquennium magistris usus est Luettmanno, Weigelio, Fridelio, quos grata mente colit: praecipue vero obstrictum se fatetur Rostii et Reichenbachii plurimis et maximis beneficiis. A. h. s. XIV. a Tittmanno Academiae Lipsiensis civibus adscriptus, philologiae magistros Beckium et Beierum, philosophiae Platnerum et Krugium, historiae universalis Wielandium, ecclesiasticae autem Beckium sequutus est, scholarum exegeticarum et dogmaticarum et symbolicarum eidem Beckio et Tittmanno auditor assedit. Homiletica et sacerdotali disciplina usus est Tzschirneri. Praeterea hebraicas lectiones adiit Rosenmülleri et Winzeri. Tittmannus theologiae moralis praecepta ei tradidit. His omnibus, in primis autem Tittmanno et Winzero, quorum largum favorem praedicat, atque ante omnes Wielandio, qui eum interiore admissione dignatus est, consilioque non minus quam scholis suis adiuvit, maximas grates agit. In consequendis magisterii honoribus stipendio Grossiano eum auxerunt Ritteri fratres, alter Director et Inspector Monetae apud Brunovicenses, alter Ephorus et sacerdos primarius dioeceseos Schoeninganae, quorum benevolentiae et munificentiae numquam se immemorem fore spondet.

GVSTAVVS SEYFFARTH.

Vbigaviae a. MDCCXCVI natus, parentibus utor Io. Traug. Augusto, Superintendente Belzigensi, et Io. Dorothea, e gente Hertelia. Pater cum rerum sacrarum in illo vico antistes Superintendentis provinciam nactus a. XCIX Liebenwerdam, hinc Herzbergam se contulisset, mature me bonis litteris et artibus imbutum a. MDCCCX scholae Afranae commisit, cuius alumnus Tzschuckio, Hentschio, Koenigio, Weiskio, et Luedeckio, postea vero Balzero, Kreysigio et Weicherto praeceptoribus per quinque fere annos gavisus sum. Inde a MDCCCXV. civibus Academiae Lipsiensis adscriptus Rectore Beckio, theologiae studia sequutus, hos fere habui magistros: Platnerum et Krugium in philosophia, cui non exiguam curam impendi; Mollweidium in doctrinis mathematicis, Gilbertum in physicis, Wielandium in historicis, Hermannum et Beckium in philologicis. Porro Tittmanni, cui et alia plurima et maxima de-

heo, Keilii, Tzschirneri, Rosenmülleri institutionibus theologicis ita deinceps interfui, quemadmodum fructuosissimum mihi fore putabam.

FRIDERICVS CHRISTOPHORVS THOMAE.

Schoenewerdae in Thuringia Ioanni Gottlobo, Cantore et Ludimagistro ex Maria, e gente Hoffmannia sup. sec. anno nonagesimo quinto, d. XVIII. m. Iun. natus, quum primis rudimentis exercitatus essem, a. h. s. IX. Lipsiae scholae Thomanae traditus sum; inter cuius scholae alumnos non ita multo post ut Keesii, V. Ill., auctoritate et benevolentia reciperer mihi contigit. Per VII. annos ibi usus praeceptoribus optimis et clarissimis, quorum quum omnium, tum inprimis Weigelii et Rostii, nec non Hohlfeldii, mathesi docenda egregie de me meriti, ut studium in me et amorem laudem, officii religio postulat. A. h. s. XVI. in album civium academicorum relatus, ad hunc usque diem litteris me dedi ita, ut in iis praeceptores et theologiae et philosophiae, quos summos sibi florere Academia Lipsiensis gaudet, sequerer: quibus Viris, quum omnibus, tum maxime Beckio, V. Ill., qui non solum a manu sibi me esse voluit, sed etiam tanta benevolentiae suae mihi semper praebuit documenta, ut verbis dici nequeat, gratias ago quam maximas. Vt vero in rei familiaris tenuitate studia academica continuare possem, adiutus sum eximia liberalitate et Potentiss. Regis Saxoniae, et Keesii, V. Ill., et maxime Beckii. Praeterea ad obtinendos summos philosophiae honores stipendio Henriciano ab Amplissimo Philosophorum Ordine me ornatum esse, gratus profiteor.

CHRISTIANVS FRIDERICVS RICHTER.

Hartensteinii prope Schneebergam natus sum, d. VII. mens. Ian. a. s. s. XCVI, parentibus Friderico Christiano, musico, quem maturius decessisse doleo, ac Friderica Wilhelmina e gente Himmleria, quam superstitem omni, qua par est, pietate colo. Ad duodecimum usque annum schola, quae Hartensteinii fuit, et institutione b. Leupoldi, Diaconi loci, usus, huius hortatu scholam litterarum Schneebergensem adii, in qua septem annos sub praeceptoribus de me meritissimis transegi, Schulzio, b. Haasio, b. Schaarschmidtio, Bornemanno. Inde a. MDCCCXV Lipsiam me contuli, ubi a Weissio, fasces Academiae tum tenente, in cives eius relatus sum. Interfui scholis philosophicis b. Platneri, Krugii, Clodii, historicis Wielandii et Krusii, theologicis b. Keilii, Tittmanni,

Tzschirneri, Winzeri, Beckii, Hoepfneri, Wolfii, Wineri; mathematicis Mollweidii; philologicis Beckii, praeprimis autem Hermanni, qui me et liberis suis instituendis praefecit, et stipendio ad summos Philosophiae honores consequendos ornavit, cui viro me plurimum debere, ex animo gratus profiteor. Caeterum, ut in rei familiaris tenuitate studia academica continuare possem, non modo singulari patrocinio, verum etiam non parca liberalitate Principis mei Clementissimi, Alfredi, Amplissimi Senatus Lipsiensis, Goldhornii, Kuhlii, Iaspisii, AA. M., qui Puechaviae sacris praeest, Rudolphi, oeconomi praedii Laurensis, Hentschelii, mercatoris Lipsiensis, nec non Kirbachii, Tauberti, bibliopolae Lipsiensis, adiutus sum. Quibus omnibus grates ago quam maximas.

FRIDERICVS AVGVSTVS GEHE

Natus Leubnitii prope Dresdam a. s. s. XCVII, parentes habeo Christianum Conradum, sacrorum antistitem, matrem e gente Hederichia, qua infans orbatus, in altera, quam pater duxerat coniugem, benignam habui atque dilectam novercam. Ab anno aetatis septimo, ne vita agrestis in agrestes cederet mores, patris liberalitas privatis magistris me erudiendum et educandum curabat. Impleto aetatis anno undecimo Dresdae scholam ad aedem S. Crucis frequentare coepi, sed mox anno h. s. X. pater me civibus scholae Afranae adscribendum curavit. Brevi post morte et inopinata et acerbissima patris dilecto capite privatus, ne mihi deessent, quibus ad vitam sustentandam atque studia prospero successu persequenda indigebam, maxime Viris debui praeclare de me meritis, generosissimo a Zehmen, et Tittmanno, Iur. Doctori Dresdensi, viro celeberrimo. Quorum cura et liberalitate adiutus vixi in illustri Afraneo et literis et amicis per quinque annos et sex menses, ita, ut faustissimi huius temporis memoria indelebilis in animo meo haereat. Pie etiam colo memoriam magistrorum egregie de me meritorum, Weiskii inprimis atque Kreysigii. Lipsiam profectus, Beckio Rectore legibus academicis subscripsi anno h. s. XV. Hic per tres annos et sex menses ea fuit studiorum meorum ratio, ut praeter disciplinas theologicas, in quibus Viris S. V. Tittmanno, Tzschirnero, Winero et Wolfio magistris utebar, historiam discerem Beckio et Poelitio, philologiam Hermanno et Spohnio, philosophiae vacarem Platnero et Krugio, atque rebus physicis Gilberto ducibus. Iam vero mihi discessum ab hac litterarum sede paraturo ut novum Lipsiae fieret monumentum, iuvit inprimis liberalitas Hauboldi, V. Ill., Gaudlitzii, V. I.C., stipendium in me, summos in philosophia honores ambientem, conferentium.

IOANNES HENRICVS WOLFF.

Natus a. s. s. XCIV. Neusalzae in tractu Misnico, patre Ioanne Philippo Guilielmo, sutore, matre Ioanna Christiana e gente Boenischia. Per sex annos totidemque menses frequentavit Zittaviae gymnasium, magistris Rudolpho, Kneschkio, Lachmanno, Schoenfeldio, Gerlachio et Raetzio. A. h. s. XVI. Lipsiam venit, rectore Rosenmüllero. Hic Keilium, Tittmannum, Tzschirnerum, Winzerum, Rosenmüllerum, Krugium, Beckium, Wendtium atque alios audivit. In societatem homileticam, cuius nunc senior est, praesidibus Tzschirnero, Goldhornio et Wolfio, receptus est. Primo iam academicae vitae anno Diemerus, consiliarius ecclesiasticus, educationem liberorum suorum ei commisit. Nunc in schola privata ab Hempelio instituta praeceptoris munere fungitur.

FRIDERICVS MEHLHORN

Natus sum Numburgi ad Saalam sub finem anni s. s. XCIII. parentibus Friderico Guil. Mehlhorn, mercatore, et Iuliana, e gente Thoeldenia. Mature matre orbato in fatis erat, ut patre quoque non diu fruerer, qui, audacior in commerciis iungendis, nimio aere alieno contracto, exsulavit patria, ut nunquam rediturus. Inopem puerum sexennem benigne domo excepit avus paternus, qui in pago prope Bischofswerdam sacra curabat, ubi, simul cum amitae filio, domestico magistro usus, ad litterarum studia primum adspiravi. Sed post quatuor annos avum quoque durissima mors mihi eripuit, et, qui ei in munere succedebat, amitae maritus, vir honestissimus, quemque patris instar semper venerabar, multas et magnas calamitates domesticas expertus, id maxime curandum sibi putavit, ut quam primum mea mihi opera victum quaerere possem. Quare inter illiberales tantum artes optione relicta, post quatuor demum annos ad librorum compingendorum artem accessi, ut quae consuetudinem cum libris non plane abrumpere videretur. Ac traditus anno h. s. octavo opifici Dresdensi, cum ad hoc vitae genus me non esse natum mox intelligerem, tamen, quia, quem patris loco venerabar, ex more pro me spoponderat, ante statutum tempus officiis meis me subducere nolui. Sed post quadriennium humili servitio rite liberatus patrisque memoriam in patria urbe adhuc benignam servari sperans, hanc petii, constanti consilio, ut, si fieri posset, litterarum studia a primis elementis denuo repeterem. Excepit autem patria civitas reducem eximia liberalitate et beneficentia, ita ut in ea, quae ibi floret, schola ca-

thedrali, omnibus modis adiutus, per quatuor annos iustum cursum scholasticum absolvere potuerim. Ex praeceptoribus ibi maxime colui Hoppium, Wernsdorfium, et Fürstenhauptium. Ex reliquis civibus, cum alii multi rebus meis prospexerunt, tum maxime Lippertus, mercator honestissimus, et Generosissimus Canonicus de Bodenhausen, qui amore et favore suo etiam in hac Academia me prosecuti sunt, in quam receptus sum anno huius seculi decimo sexto. Vsus autem sum ducibus in theologicis Tzschirnero et Tittmanno; in philosophicis Wendtio, Platnero, Krugio, Heinrothio, Clodio; in historiae et antiquitatum studiis Beckio, Krusio, Hauboldo; in paedagogicis Lindnero; in philologicis autem, quibus praecipue operam navavi, Hermannum maxime et Spohnium colo praeceptores. Atque Hermanni quidem disciplina, cui summam semper humanitatem, indulgentiam, et benevolentiam adiunxit, prorsus nil novi, quod mihi potuisset praestantius contingere. A quo etiam ad societatem Graecam admissus, et cum in multis aliis rebus, tum etiam in consequendo Regis Pot. stipendio adiutus sum. Spohnius autem receptum in eam, quam nuperrime condidit, criticam societatem, non modo praeclarae doctrinae copia maximopere adiuvit, sed etiam vere benignae in me voluntatis edidit multa et varia documenta, ita ut horum virorum in me merita gravissima et ad vitae futurae conditionem efficacissima esse gratissimo animo profitear. Superest ut gratias agam maximas Illustri et Iuris Consultissimo Stockmanno, qui mihi ad consequendos in philosophia summos honores liberalissime succurrit stipendio.

CAROLVS AVGVSTVS HERTEL

Natus Doebelae die XX. mens. Dec. a. s. s. XCVI patre M. Augusto Friderico, ad aedem Doebelensem Diacono, et matre Christiana Wilhelmina e gente Hilneria, quam praematura morte ante hunc annum mihi meisque ereptam doleo. Prima, quibus aetas puerilis imbui solet litterarum rudimenta pater me edocuit, et cum animum ad illas ulterius persequendas propensiorem ostenderem, me satis praeparatum a. h. s. X. scholae Misnensi tradidit. Ibi b. Tzschuckium, Koenigium, b. Hentschium, Kreysigium, Weiskium, Prof. nunc Lipsiens., Baltzerum, Lüdikium et Weichertum praeceptores habui, quibus quidem tum ob institutionem saluberrimam, tum eo etiam obstrictum me sentio, quod me sub ipsum e schola discessum Augustissimo Regi nostro ad stipendium Misnicum commendarunt. A. XVI. h. s. ineunte a Rosenmüllero Rectore Magnifico academiae civibus adscriptus, in philosophia Krugium,

Clodium, b. Platnerum, et Poelitzium, in philologia Hermannum, in historica politica Poelitzium, in theologia b. Keilium, Winzerum, Tzschirnerum, Tittmannum, Rosenmüllerum, et Beckium audivi. Praeter Misnicum stipendium contigit mihi Supremi Senatus ecclesiastici liberalitate beneficium Schroederium, quo per biennium fruitus sum, et Regis Augustissimi clementia convictorium, quo adhuc fruor. Ceterum non possum quin Tzschirneri et Krugii, quorum ille domo sua me recepit et ad summos in philosophia honores capessendos stipendiis adiuvit, uterque autem a manibus sibi esse voluit, singularem in me benevolentiam et humanitatem, cuius recordationem nulla unquam temporis aut loci intervalla in animo meo delebunt, gratissima mente praedicem.

IOANNES IACOBVS GERLACH

Hunc pater Georgius Guilielmus, Gotha Thuringus, Genevae in Helvetia, ubi Professoris et Sacrorum antistitis munere fungitur, a. s. s. XCVII. suscepit ex Magdalena Bratschi, Genevensi. Qui quum eum ad annum aetatis XV domi suae ipse sedulo educasset, misit in gymnasium illustre Genevensium, quam illic Academiam vocant, in quo adolescentes per duo biennia, altero litteris et artibus humanioribus erudiuntur, altero philosophiam, mathesin, astronomiam, physicen discunt. Hoc ille stadium quum fere percurrisset, flagrante communi bello contra Gallos, non detrectavit militiam, usque dum illis in locis fervor, quo omnes ardebant, compesceretur. Tum sentiens, multam arma litterarum oblivionem afferre, impetravit a patre, ut Germaniam adire sibi liceret, ubi litteras Graecas et Latinas accuratius, quam in patria sua coli videret. Ita Gotham se contulit, ubi fere biennium optimorum magistrorum, maximeque Iacobsii institutione usus est. Inde Academiam Georgiam Augustam petiit, ubi philosophiae potissimum, physicae, aliisque rerum naturalium doctrinis operam dedit Bouterweckio et Blumenbachio ducibus. Anno ibi uno fere exacto Lipsiam venit, ubi theologiae studia sequutus est, ita tamen, ut et historiae et philosophiae et philologiae operam navaret. Stipendia sibi contigisse gratus praedicat duo Gothana, unum gentile, quod pater ea in urbe natus esset, alterum benignitate Wangenhemiorum, nobilissimorum in ducatu Gothano equitum, ipsi decretum.
